



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Satisfaciunt ne homines huic praecepto?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

DE DECALOGO. 3

cet, quia exhibitus est nobis **Christus**. **Hunc Deum**, qui est pater **Domini nostri Iesu Christi**, agnoscere & colere debemus. **Cultus** uero sunt timor & fides & perfecta dilectio. **Est enim en-**
phasis in particula Deus Tuus, id est, curans te. **Zelotes**, id est, qui non patitur alteri tribui glo-
riam Dei, non patitur alios **Deos** confingi aut in-
uocari. **Visitans iniquitatem etc.** hic requirit ti-
morem. **Rursus** requirit fidem & dilectionem,
cum ait, **Faciā misericordiam diligentibus me**,
sicut & alibi declaratur hoc præceptum, **Dili-**
ges Dominum Deum tuum ex toto corde. **Item**,
Dominū Deum tuum timebis, & illi soli seruias.
Ita primum præceptum tradit & modum agno-
scendi Dei, & ueros cultus. **Suntq; ueri & primi Veri cultus**
cultus interiores, timor, fides & dilectio. **Et quia tus.**
magis intelligi possunt hi motus, timor & fides,
ideo cum queritur quid præcipiat primum præ-
ceptum, commodissimum est respondere, timo-
rem **Dei** & fidem. **Quomodo autem fides pariat**
dilectionem, aliās dicitur.

Satisfaciunt ne homines
huic præcepto?

Lex Dei requirit perfectam obedientiam, per-
fectum timorem, perfectā fiduciam **Dei**, per-
fectam

festam dilectionem **D**ei, iuxta illud: **D**iliges **D**ominum **D**eum tuum ex toto corde. **S**ed quia natura hominis corrupta est uitio originis, ideo hæret in nobis dubitatio, carnalis securitas, concupiscentia, quæ magis amat carnalia quàm **D**eum. **I**deo hæc infirma natura, nunquam potest satisfacere huic legi, & semper accusat nos hæc lex. **N**unquam enim tantum timemus, aut diligimus **D**eum, quantum oportuit. **I**mò ne inchoari quidem potest obedientia huius præcepti, nisi prius audiamus **E**uangelium de **C**hristo, & de remissione peccatorum.

Quomodo inchoatur hæc obedientia?

Ad inchoandam hanc obedientiam, necesse est addere **E**uangelium de **C**hristo, & de remissione peccatorum. **N**on enim possunt humana corda **D**eo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt **D**eum, nisi prius intelligant **D**eum esse placatum. **C**um igitur per terræ facti agnitione peccatorum nostrorum, audimus nobis donari remissionem peccatorum, propter filium **D**ei **I**esum **C**hristum, qui pro nobis factus est uictima, **H**ac consolatione eriguntur mentes, & incipiunt credere & confidere **D**eo, quòd sit
nobis